

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Prooemium

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1233)

TITI LIVII PATAVINI
HISTORIARVM
AB VRBE CONDITA
LIBER I

PROOEMIUM

FACTURUSNE operæ pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio; nec, si sciam, dicere ausifim: quippe qui quum veterem, tum vulgatam esse rem videam; dum novî semper scriptores, aut in rebus certius aliquid adlaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcumque erit, juvabit tamen, rerum gestarum memoriæ principis terrarum populi pro virili parte & me (a) ipsum consuluisse; &, si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, meo qui nomini obficient, me consolet. Res est præ;

(a) me del. Crev.

terea & inmensi operis, ut quæ supra septingentesimum annum repetatur; & quæ, ab exiguis profecta initiis, eo creverit, ut jam magnitudine laboret sua: & legentium plerisque, haud dubito, quin primæ origines proximaque originibus minus præbitura voluptatis sint, festinantibus ad hæc nova, quibus jam pridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris præmium petam, ut me a conspectu malorum, quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper, eerte dum prisca illa tota mente repeto, avertam, omnis experta curæ, quæ scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit. Quæ ante conditam condendamve urbem, poëtici magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur, ea nec adfirmare, nec refellere in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut, miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet, consecrare origines suas, & ad Deos referre auctores; ea belli gloria est populo Romæ

no, ut, quum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Sed hæc & his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibusque artibus, domi militiæque, & partum & auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint; tum ire cœperint præcipientes: donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque reipublicæ, quod imitere, capias: inde, foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit; aut nulla umquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior,

fuit : nec in quam civitatem (b) tam seræ avaritia luxuriaque immigraverint : nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimonie honos fuerit : adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiarum avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Sed querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ quum forsitan & necessariæ erunt ; ab initio certe tantæ ordiendæ (c) rei absint. Cum bonis potius omnibus votisque ac precationibus Deorum Dearumque, si, ut poëtis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut oris tanti operis successus prosperos darent,

(b) civitatem del. Gron.

(c) ordiunda Gron. Crev.